

**PASSIO SANCTORUM MARTYRUM FRUCTUOSI EPISCOPI, AUGURII ET  
EULOGII DIACONORUM, QUI PASSI SUNT TARACONA DIE XII  
KALENDAS FEBRUARIAS SUB VALERIANO ET GALLIENO  
IMPERATORIBUS.**

1. Aemiliano et Basso consolibus, XVII kalendas Februarias, die dominica, compraehensi sunt Fructuosus episcopus, Augurius et Eulogius diacones. Deposito Fructuoso in cubiculo, direxerunt se beneficiarii in domo eiusdem, id est Aurelius, Festucius, Aelius, Pollentius, Donatus et Maximus. Et cum sensisset pedibulum ipsorum, confestim surrexit et prodivit foras ad eos in soleas. Cui milites dixerunt: "Veni, praeses te arcessit cum diaconibus tuis". Quibus Fructuosus dixit: "Eamus; aut, si vultis, calcio me". Cui milites dixerunt: "Calcia te ad animum tuum". Et mox advenerunt, confestim recepti sunt in carcerem. Fructuosus autem certus et gaudens de corona Domini, ad quam invocatus erat, orabat sine cessatione. Erat et fraternitas cum ipso, refrigerans et rogans ut eos in mentem haberet.
2. Alia die baptizavit in carcere fratrem nostrum nomine Rogatianum. Et fecerunt in carcere dies sex, et producti sunt die XII kalendas Februarias, sexta feria, et auditii sunt. Aemilianus praeses dixit: "Fructuosum impone, Augurium impone, Eulogium impone". Ex officio dictum est: "Adstant". Aemilianus praeses Fructuoso dixit: "Audisti quid imperatores paeceperunt?" Fructuosus dixit: "Nescio quid paeceperunt; ego christianus sum". Aemilianus praeses dixit: "Paeceperunt deos coli". Fructuosus dixit: "Ego unum Deum colo, qui fecit caelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt". Aemilianus dixit: "Scis esse deos?" Fructuosus dixit: "Nescio". Aemilianus dixit: "Scies postea". Fructuosus respexit ad Dominum et orare coepit intra se. Aemilianus praeses dixit: "Hii audiuntur, hii timentur, hii adorantur, si dii non coluntur nec imperatorum vultus adorantur". Aemilianus praeses Augurio dixit: "Noli verba Fructuosi auscultare". Augurius dixit: "Ego Deum omnipotentem colo". Aemilianus praeses Eulogio dixit: "Numquid et tu Fructuosum colis?" Eulogius dixit: "Ego Fructuosum non colo, sed ipsum colo, quem et Fructuosus colit". Aemilianus praeses Fructuoso dixit: "Episcopus es?" Fructuosus dixit: "Sum". Aemilianus dixit: "Fuisti". Et iussit eos vivos ardere.
3. Et cum duceretur Fructuosus cum diaconibus suis ad amphitheatum, populus Fructuosum episcopum dolere coepit, quia tales amorem habebat non tantum a fratribus, sed etiam ab ethnicis. Talis enim erat, qualem Spiritus sanctus per beatum Paulum apostolum, vas electionis, doctorem gentium, debere esse declaravit. Propter quod etiam milites, qui sciebant illum ad tantam gloriam pergere, gaudebant potius quam dolebant. Cumque multi ex fratribus ei offerrent ut conditi permixti poculum sumeret, respondit: "Non est" inquit "hora solvendae stationis". Agebatur enim hora diei quarta. Siquidem et in carcerem quarta feria stationem sollemniter celebraverat. Igitur sexta feria laetus atque securus festinabat, uti cum martyribus et prophetis in paradyso, quem paeeparavit Deus amantibus eum solveret stationem. Cumque ad amphitheatum pervenissent, statim ad eum accessit Augustalis nomine, lector eiusdem, cum fletibus deprecans, ut eum excalciaret. Cui ita beatus martyr

respondit: “Missum fac, fili, ego me excalcio”, fortis et gaudens, certus dominicae repromissionis. Qui cum se discalciasset, accessit ad eum commilito frater noster nomine Felix adpraehenditque dexteram eius, rogans ut sui memor esset. Cui Fructuosus cunctibus audientibus clara voce respondit: “In mente me habere necesse est eclesiam catholicam ab oriente usque ad occidentem”.

4. Igitur in fore amphitheatri constitutus, prope iam cum ingrederetur ad coronam inmarcescibilem potius quam ad poenam, observantibus licet ex officio beneficiariis, quorum nomina supra memoravimus, ita ut et ipsi audirent et fratres nostri, monente pariter ac loquente Spiritu sancto, Fructuosus ait: “Iam non deerit vobis pastor nec deficere poterit caritas et repromissio Domini tam in hoc saeculo quam in futuro, hoc enim quod cernitis, unius horae videtur infirmitas”. Consolatus igitur fraternitatem, ingressi sunt ad salutem, digni et in ipso martyrio felices, qui sanctarum scripturarum fructum ex repromissione sentirent. Similes Ananiae, Azariae et Misaheli extiterunt, ut etiam et in illis divina Trinitas compleretur; siquidem iam in ignem saeculi constitutis et Pater non deesset, sed et Filius subveniret et Spiritus in medio ignis ambularet. Cumque exustae fuissent fasciolae, quibus manus eorum fuerant conligatae, Fructuosus orationis divinae et solitae consuetudinis memor, gaudens positis genibus, de resurrectione securus, in signo trophyae Domini constitutus Deum deprecabatur.
5. Post haec solita Domini non defuere magnalia, apertumque caelum Babylon et Migdonius fratres nostri ex familia Aemiliani praesidis, filiae eius, dominae suae carnali, ostendebant Fructuosum cum diaconibus suis, adhuc stipitibus, quibus fuerant, permanentibus, ad caelum ascendentibus coronatos. Cumque Aemilianum vocarent dicentes: “Veni et vide quos hodie dampnasti quemadmodum caelo et spei suae restituti sunt”; igitur cum Aemilianus venisset, videre eos non fuit dignus.
6. Tunc veluti derelicti sine pastore fratres tristes sollicitudinem sustinebant, non quod dolerent Fructuosum, set potius desiderarent. Unusquisque autem fidei et agonis sui memor, superveniente nocte ad amphitheatum cum vino festinaverunt, ut semiusta corpora extinguerent. Quo facto cineres eorum collectos, prout quisque potuit, sibi vindicavit. Sed et in hoc Domini Salvatoris nostri non defuere magnalia, ut credentibus fides augeretur et parvolis monstraretur exemplum. Oportebat enim Fructuosum martyrem, quod in saeculo per misericordiam Dei docendo promiserat in Domini et Salvatore nostro, in sua postea passione et resurrectione carnis conprobare. Igitur post passionem apparuit fratribus et monuit, ut quod unusquisque per caritatem de cineribus usurpaverat, restituerent sine mora.
7. Etiam Aemiliano, qui eos dampnaverat, Fructuosus pariter cum diaconibus suis ostendit se in stolis repromissionis, increpans pariter et insultans, nihil illi profuisse quod frustra exutos a corpore in terra crederet futuros, quos cerneret gloriosos.  
O beati martyres, in igne probati sicut aurum pretiosum vestiti loricam fidei et galeam salutis; qui coronati sunt diademate et corona inmarcessibili, eo quod diaboli caput calcaverunt! O beati martyres, qui meruerunt dignam

habitationem in caelis ad dexteram stantes Christi, benedicentes Deum patrem omnipotentem et Iesum Christum filium eius et Spiritum sanctum! Amen.